

331

329

335

320

325

340

320

380

280

430

230

nosi, de spuma maris compaginata generati; unde dicitur pumex, quasi spumex, et est bene mirabile, quod spuma gracilis ita potest indurari, ut lapidis duritiam praeferat, est enim ibi margo littoris unus integer pumex, sicut grandis petra, et per omnia est sicut rupes, demto, quod est levis, cavernosus, aquis supernatans; habet etiam refrigerativam naturam, unde, quando in vas vini aestuantis ponitur, cessat ebullitio. Sumsi ego pumicellos in sinum meum et usque Ulmam mecum duxi, ad frigerationem calcaneorum in balneo, et pedum lotione. Erant autem pumices illi grisei coloris, in aliquibus locis maris reperiuntur albi, quos vulgariter vocant Bims, quibus utuntur scriptores ad planandum pergamenum; aliquando sunt nigri, secundum qualitatem regionis. In cavernis pumicis reperimus dulces aquas, quae tamen de mari injectae fuerant, et frigore pumicis amaritudo ablata fuerat.

Deinde de lapidibus pumicum in arenam maris ascendimus et ibi mirabilem practicam vidimus, nam aliqui galeotae foveas in arena faciebant ligonibus quasi juxta maris aquas vix duobus passibus a pelago; de mari autem destillabat in foveas per arenas aqua, et per illam instillationem purgabatur aqua a salsedine et potabilis efficiebatur, de qua hauserunt et vasa implebant et in galeas ducebant.

Sunt et alii fontes in insula de terra erumpentes delectabiores ad potandum. Dicunt etiam in eadem regione esse fontem, qui de fundo profundi maris impetu maximo sursum aquas maris penetrans supra mare saltat in longitudine unius viri, ad quam navigant aquasque dulcissimas hauriunt a salsissimis prodeuentes. Hunc fontem fabulantur esse alicujus Nymphae urinam, quae vetulæ Charybdi adversatur.

Consequenter gyrando super littus maris venimus ad quandam magnam montis scissuram, quae protenditur usque in mare, ubi rupes montis scissuram habuit non latam sed profundissimam, in quam mare currens sonitum in penetralibus dabat, ac si pulsarentur campanae. Horribile fuit scissuram illam videre, et mirabile sonitum ab intus audire, qui arguento monstravit grandem montis concavitatem esse plenam aquis, ubi forte belluarum sunt habitacula; mons enim huic mari imminet vertice praecipiti atque alto, in cuius radicibus exesae speluncae sunt asperaeque concavitates, in has frequentibus procellis delata maris profundi tem-

